

Cum te totum exhaurires,
 Ut te nobis impertires,
 Et nos à morte tolleres?

O mors illa quam amara,
 Quam immitis, quam avara,
 Quae per cellam introiit
 In qua mundi vita vivit,
 Te mordens cor dulcissimum,
 Propter mortem, quam tulisti,
 Quando pro me defecisti,
 Cordis mei cor dilectum,
 In te meum fer affectum,
 Hoc est quod opto plurimum.

O cor dulce, prædilectum,
 Munda cor meum illectum;
 Et in vanis induratum,
 Pium fac & timoratum,
 Repulso tetro frigore.

Per medullam cordis mei,
 Peccatoris, atq; rei,
 Tuus amor transferatur;
 Quo cor totum rapiatur,
 Languens amoris vulnere.

Dilatate, aperire,
 Tanquam rosa fragrans mire;
 Cordi meo te conjunge,
 Unde illud & compunge:
 Qui amat te quid patitur?

Quidnam agat nescit verè,
 Nec se valet cohibere,